

cularem consuetudinis in contrarium inductæ, alioquin verba vel in aliis Ecclesiis ubi adest usus, etc., sensu omni carent, quod presumere fas non est<sup>1</sup>.

6º Ultimum tandem jus, seu privilegium, canonicorum referatur ad susceptionem sacramentorum viatici atque extremæ unctionis, et ad exequias.

Duae sunt regulæ generales, quarum una vult singulos fideles sacramenta recipere a parocho loci ubi domicilium habent; altera autem statuit ut fideles qui suam sepulturam non elegerunt, nec habent sepulchrum majorum, sepeliantur in Ecclesia ubi pabulo cœlesti refici consueverunt, ubi scilicet divina officia audire et sacramenta recipere debuerunt; unde canonistæ concludunt clericos habentes beneficium residentialę, sepelendos fore in Ecclesia cui addicebantur suo titulo et officio.

Quæstio est igitur an canonici habendi sint vere parochiani Ecclesiae cathedralis, etiamsi commoren tur intra fines alterius parochiæ, an sint potius parochiani loci ubi suum domicilium reale habent; a quo proinde, a capitulo an a parocho domicili, ultima sacramenta, præcipue viaticum et extremam unctionem, recipere debeant. Non una fuit omnium ea de re sententia. Ipsa S. Congregatio concilii interpres, videtur ea de re decisiones contradictorias deditis, ut resertur apud Ferraris, v<sup>o</sup> *Canoniciatus*, art. VIII, n<sup>o</sup>s 14-20, quæ tamen facile explicari possunt, si attendatur ad diversitatem temporum et circumstantiarum. S. Congregatio Rituum, exortam controversiam inter Archipresbyterum Ecclesiae cathedralis alicujus civitatis et parochos aliorum ecclesiarum ejusdem civitatis solvit, rescribendo, anno 1756, ut canonici qui domicilium habebant intra fines harum parochiarum ultima sacramenta reciperent a parocho domicilio,

<sup>1</sup> Statuta capitulo eccl. Montispesulanæ quæ modo citavimus, ita de habitu canonicali decernunt: « Art. 2º... Tous les chanoines titulaires porteront leur habit de chœur dans toute l'étendue de notre diocèse, autant que les circonstances le permettront. 3º Les chanoines honoraires ne porteront habit de chœur que dans l'Église cathédrale seulement et lorsqu'ils nous accompagneront dans quelques cérémonies. »

utque canonici decadentes intra fines earumdem parochiarum tumularentur in Ecclesia cathedrali, solutis juribus parochialibus parocho domicili. (*Decreta authentica*, n<sup>o</sup> 4262, ad vii, et ad xi.)

Illi standum est, quando quæstio ad terminos juris communis perpenditur; nihil vero obstat quominus aliter ordinatum sitstatutis et consuetudinibus locorum, eo magis quod Episcopus valeat privilegia et immunitates a jure parochiali nonnullis communitatibus conferre<sup>1</sup> (n<sup>o</sup> 260). Porro praxis magis recepta in Galliis est ut « canonicis in mortis periculo constitutis, et in quacumque civitatis episcopalibus parœcia degentibus, ultima sacramenta deferantur a capituli præside... eorumque exequiæ fiant in Ecclesia cathedrali, » quemadmodum statuit concilium Tolosanum, an. 1850 habitum. (Tit. I, cap. v, n<sup>o</sup> 27.)

#### ARTICULUS VI. — DE CŒTU CAPITULARI.

Ex ipsam natura capitulo sequitur canonicos identidem convenire debere in concilium, ad deliberandum de negotiis quæ ad suum officium attinent, ut valeant jurium capitulo exercitio providere, et obligationibus satisfacere.

\* 420. — Iº Ad quem pertineat cœtum capitulare convocare?

Capitulum convocatur, tum ab Episcopo, tum a dignitate, ratione habita materiae de qua agitur et statutorum.

I. Episcopus potest convocare capitulum quoties opportunum judicat illius consilium exquirere, in negotiis quæ referuntur ad bonum dioecesis. Idem potest vicarius generalis, seu præsente, seu absente Episcopo, vi delegationis specialis ab Episcopo accepta.

<sup>1</sup> Cf. Reiffenstuel in titulum xxviii, n<sup>o</sup>s 13-18, libri III Decretalium; — Pignatelli, tom. VIII, *Consult.* v.

Concilium Tridentinum decernit quidem capitulum convocandum fore absente Episcopo, ab iis de capitulo ad quos de jure vel de consuetudine spectat; sed in eo statuit de capitulis exemptis. Ita interpretatur C. Petra, post Fagnan et Barbosa, « ea valida ratione, inquit, quia in capitulis exemptis « facultas convocandi tribuitur tantum Episcopo, in reliquis « vero non est necessaria illa facultas, quia eam habet a jure « communi, quamque communicat vicario, qui proinde juris- « dictionem habet in capitulo, et sic potest convocare, justa « existente causa, in iis negotiis in quibus juxta suas facul- « tates judex esse potest. » *Comment.* in I<sup>am</sup> Const. S. Leonis I, sect. II, n<sup>o</sup> 52. Tom. I Ferraris, v<sup>o</sup> *Capitulum*, art. 1, n<sup>o</sup> 16. Aliunde concilium Tridentinum declarat ea quae in hocce capite statuit, locum non habere « in iis Ecclesiis in quibus Episcopi, « aut eorum vicarii, ex constitutionibus, vel privilegiis, aut con- « suetudinibus, seu quocumque alio jure majorem habent potes- « tam, auctoritatem et jurisdictionem, quam in praesenti de- « creto sit comprehensum, quibus sancta synodus non intendit « derogare. » Porro, consuetudine diuturna et statutis Epis- copi valent delegare suis vicariis facultatem convocandi capitulum cathedralis Ecclesiae.

II. Præses capitulo potest etiam illud convocare, quando agitur de propriis negotiis ipsius capitulo; et si convocare negligat, convocatio ab eo fieri potest qui est in gradu subsequenti, attentis tamen circumstantiis, scilicet motivis quibus prima dignitas ducitur ad supersedendum convocationi capitulo.

An requiratur prævia licentia Episcopi ut fiat convocatio, non ita constat. Alii sustinent capitulo inesse jus proprium se coadunandi absque licentia Episcopi, et in suæ opinionis patro- cinium invocant nonnullas declarationes olim datas a S. Congregatione Concilii. Admittunt tamen Episcopum posse nihilominus, ex aliqua gravi et rationabili causa, aliquando suspendere vel prohibere convocationem capitulo. Cæteri canonistæ negant hoc jus competere capitulis, nisi inductum fuerit diuturna

consuetudine. Hanc sententiam admissam fuisse a tribunalni Rotæ refertur in causa conflictus alicujus Episcopi cum suo capitulo. Censuit nimurum pronuntiandum fore in favorem capitulo, quando firmatam consuetudinem prætendit : « Ex diametro « autem, nisi constet de consuetudine, procedere resolutiones « (S. Congregationis) quæ militant pro Episcopo. » Ita Barbosa, Pignatelli, Card. Petra, Ferraris, etc. « In hac re, ait Pigna- « telli, video per S. Congregationem Episc. et Regul. non re- « quiriri licentiam Episcopi, si solitum sit sine ea se congre- « gare. Ergo e contrario non licet se congregare, si non probetur « solitum... Est regula ut non licet collegiis et universitatibus « se congregare sine licentia superioris. » Tom. IV, *Consult.* CLIV, n<sup>o</sup>s 4-7. Card. Petra animadvertisit cum pluribus canonistis, consuetudinem illam, si prætendatur, « deberi probari a capi- « tulo, cum jus assistat Episcopo. » Loc. cit., n<sup>o</sup> 48.

Iudem canonistæ referunt Congregationem alias respondisse Episcopum, ubi consuetudo viget ut capitulo non congregetur absque illius licentia, non posse cogere canonicos ad declarandum quæ negotia agere debeant in suo conventu, quamvis requirere valeat ut sibi exhibeant transcriptionem authenticam deliberationum. Si Episcopus beat libertatem relinquere canonicis conveniendi, tenetur etiam invigilare ne a capitulo prodeant resolutiones contrariae disciplinæ ecclesiastice. Card. Petra, n<sup>o</sup> 55; Ferraris, v<sup>o</sup> *Capitulum*, art. 1, n<sup>o</sup>s 11, 12.

Praxis communis Galliarum fuit hucusque a tempore con- cordati, ut capitulo non congregaretur absque licentia Epi- scopi.

In actu convocationis designatur locus quo canonici convenire debeant, si designatus hactenus non fuerit. Electa semel aula capitulari, Episcopus non debet canonicos alio convocare, præ- sertim in suo palatio; sed ipse, aut vicarius qui suo nomine præsedit, debet adire locum ubi conventus regulariter habentur. Barbosa, cap. XXXV, n<sup>o</sup>s 10, 11; Ducasse, section VIII.

\* 421. — II<sup>o</sup> Quinam convocandi sint?

Convocari debent omnes canonici præbendarii præsentes in civitate, exceptis solum qui impedimento juris excluduntur.

Canonistæ tenent dignitates capituli, si non sint e gremio capituli, non convocari, nisi in triplici casu, quando scilicet : 1º fundatione, jus obtinent suffragii; 2º agendum est de correctione morum, vel de decentia cultus divini, quia ad hoc dignitates instituuntur ; 3º ex consuetudine aut possessione saltem decennali id juris habent...

Diximus 1º *Omnes canonici præbendarii...* Omnes jus habent. Si vel unus ex industria omittatur, agere potest de *contemptu*, id est postulare ut irritetur deliberatio : quod gestum est in illius absentia, jure quidem subsistit, sed rescissioni obnoxium manet, si canonicus neglectus nullitatem provocet. Nihil certe tam adversatur fini cuiuslibet collegii deliberantis, quam si fraudulenter removeantur quidam consiliarii : quapropter omnibus negotiis merito applicatur quod de electione specialiter dictum fuit : *Plus in talibus consuevit contemptus unius obesse quam plurium contradictio in præsenti.* Cap. Bonæ memoriarum, 36, DE ELECTIONE.

De canonicis præbendariis agimus, ut excludamus honorarios, qui utique jus non habent sedendi in cœtu capitulari, nisi forte alieubi hoc jus ipsis tribuatur statutis capituli<sup>1</sup>.

Diximus 2º *Præsentes in civitate...* Regulariter non vocantur procul absentes, nec qui difficulter vocarentur, aut cum periculo expectarentur. At cum regula habeat aliquid nimis vagum et incertum, jus canonicum quosdam in specie casus expressit pro quibus vocari debent absentes, nisi alter induxit consuetudo, nimirum : electionem prælati faciendam, collationem præbendarum seu beneficiorum, et cessationem a divinis. Cap. Cum in ecclesiis, 33, DE PRÆBENDIS in vi<sup>o</sup>; Quia propter, 42, DE ELECTIONE; Quamvis, 8, DE OFFICIO ORDINARI.

<sup>1</sup> Cf. *Thesaurum resolutionum S. C.*, tom. XCVI, pag. 543 (an. 1756). ubi refertur ea de re controversia inter Episcopum Ventimilensem et capitulum.

Casibus jure expressis, qui in statu præsenti locum non habent apud nos, addere necessarium videtur 1º negotia ardua et magni momenti, v. g. alienationem bonorum capituli, electionem vicarii capitularis; 2º deliberationes quæ in singulorum præjudicium tendere possunt ; 3º alios tractatus capitulares pro quibus consuetudo locorum fert ut absentes vocentur. Plures canonistæ hujusmodi negotia annumerant casibus speciatim exceptis, propter paritatem rationis, eo magis quod jus canonicum tres casus indicando, cæteros non excludat. Ergo quoties hæc et similia gravioris momenti debent in conventu agi, vocari oportet absentes, modo non sit periculum in mora, et absentes non procul degant, sed sint in diecesi, aut finitimis locis, adeo ut absque difficultate fiat convocatio<sup>1</sup>.

Diximus 3º *Nisi impedimento canonico aut naturali teneantur* : v. g. si qui in suspensionem denuntiatam incurrerint, vel si mente capti sint, de quo nihil amplius notandum.

*Nota.* Convocatio regulariter facta imponit canonicis obligationem conveniendi in locum assignatum, nisi legitima causa excusentur.

422. — IIIº *Utrum vicarii generales admitti debeant in conventu capitulari?*

I. Vicarius generalis qui, ex dictis supra, jus habet convocandi capitulum, pro negotiis quæ referuntur ad bonum generale diecesis, in quibus expostulatur consilium, vel consensus canonicorum, habet etiam jus præsidendi cœtui capitulari, et suffragantium vota exquirendi. Unum ab altero sequitur juxta disciplinam canonicam.

II. Vicarius generalis, spectato jure communi, non debet, qua talis, interesse cœtibus capitularibus, ubi tractatur negotium ad ipsummet capitulum spectans; potest vero, si ita consuetudine vel statutis determinatum sit. Et quidem si attenda-

<sup>1</sup> Schmalzgrueber, in titulum DE HIS QUAE FIUNT A MAIORI PARTE, n<sup>o</sup> 15-17; — Card. Petra, loc. cit., n<sup>o</sup> 39-45; — Gohard, *Tr. des Bénéfices*, tom. II, pag. 729.

tur ad jus commune, vicarius non canonicus admittendus non est, quia regula gene alis fert non alios quam membra capituli, et dignitates in casibus supra dictis, convenire in tractatus capitulares : porro vicarius episcopalis, qua talis, non est de gremio capituli.

Consuetudine tamen, vel statutis, res aliter ordinari potuit.  
 « Si concurrat consuetudo, ait C. Petra, ut Episcopus seu vice carius interveniat in omnibus capitulis etiam quae fiunt pro re spectante ad capitulum, debet illa servari, ut docent Barbosa, *de Canonicis*, cap. xxxv, Pignatelli, consult. cliv, etc. dicentes talem consuetudinem formaliter esse probandam saltem per decem annos, qui videntur sufficere, cum non sit contra jus. » N° 56. Ita etiam Ferraris, v<sup>o</sup> *Capitulum*, art. 1, n<sup>o</sup>s 17-22, qui profert declarationem datam a S. Congregatione 5 maii 1585 in causa vicarii Arch. Mediolanensis, his terminis prolatam : « S. Congregatio decrevit vicarium Archiepiscopi Mediol. capitulis Ecclesiae metropolitanae et negotiorum tractationi et expeditioni interesse valere, et primam sedem habere juxta decretum concilii provincialis tertii. » Supponunt tamen canonistæ non agendum in his conventibus de commodo, seu, ut aiunt, *de privato interesse* vicarii, quo casu adveniente egredi deberet et relinquere canonicos solos, ut libere rem ipsi discutiant et terminent.

Ubi vero Episcopus, seu vicarius generalis, juxta consuetudinem intervenit in cœtu capitulari, non potest suum suffragium ferre, si non sit canonicus; quia, ex natura rerum, jus ferendi suffragium non ad alios pertinet quam ad membra corporis deliberantis, quando agitur de negotio ad ipsum capitulum spectante. (Card. Petra, n° 59 ; Ferraris, n° 24, loc. cit.)

III. Quod ad morem Ecclesiarum Galliæ attinet, supra notavimus vicarios generales *titulares*, constitui primas dignitates titulo Archidiaconorum, aut Decanorum, aliave titulo quem conservant durante munere vicariatus ; atque admissos, suisce

ad deliberandum, non secus ac alia membra capituli, in cœtibus capitularibus (n° 598).

\* 423. — IV<sup>o</sup> Quæ regulæ servandæ sint in deliberationibus capituli?

I. Necesse est ut adsint saltem duæ ex tribus partibus canoniconum, quod intelligendum relative ad capitulares qui supersunt, detractis illis qui non possunt interesse. Regula est receptissima apud canonistas, et jurisperitos, illud totum corpus facere censeri quod duæ partes faciunt, servato ordine jure præstituto. (Cap. *Cum nobis*, 19, DE ELECTIONE, in parte decisa.)

Si canonici rite convocati venire detrectent, cæteri qui præsentes sunt possunt ultra procedere, si efficiant majorem partem capituli; nam, convocatione regulariter facta, qui non parent, contumaces habentur pro illa vice; et illorum contumacia non impedit quominus tractentur negotia capituli. Idem dicendum videtur, si post incepitam deliberationem, major etiam pars recesserit, quando instat terminus præfixus, vel est periculum in mora. In aliis casibus dissolvetur cœtus, et nova fiet, tempore opportuno, convocatio; ibi enim regulariter est capitulum ubi est major pars, cui pauciores numero morem gerere debent<sup>1</sup>.

II. Deliberatio fit inter præsentes, nec computantur suffragia absentium; membra enim capituli, non ut singula, sed collegialiter solummodo deliberant. Canonici tamen qui impedimento detinentur, possunt quandoque deputare procuratorem. « Si quis justo impedimento detentus, in electionis negotio nequeat commode interesse, ait Bonifacius VIII, potest nedum uni, sed et pluribus committere vices suas, dum tamen eorum cuiilibet det in solidum potestatem. » Cap. *Si quis justo*, 46, DE ELECTIONE vi<sup>o</sup>. Ita jam statuerat cap. *Quia propter*, 42, eod. tit. in lib. I Decret.

<sup>1</sup> Cf. Pirbing, in tit. xi, lib. I, n° 157.



Hæc de electione solemnis sancita sunt; unde concludendum nobis videtur in aliis casibus et præsertim in electione vicarii capitularis idem servari posse. Cum canonici habeant jus suffragia ferendi in omnibus causis quæ ad jura capitulo attinent, et modus ille suffragandi per procuratorem deputatum, nedum reprobetur a jure, expedire potius visus fuerit in negotiis etiam majoris momenti, non est cur non admittatur in electione vicarii capitularis, eo magis quod mens Ecclesiæ, atque illius votum est ut hæc nominatio consentientes habeat omnes canonicos, quantum fieri potest.

Non tamen indiscriminatim singulis conceditur facultas deputandi procuratorem, sed in casibus præfinitis, et sub certis conditionibus. 1º Si canonicus sit in loco unde debeat convocari; alioquin jus non habet ad convocationem, nec consequenter jus prætendere potest suffragium dandi per deputatum. 2º Si vera impossibilitate detineatur, gravi nimis infirmitate sit impeditus quominus ad aulam capitularem se conferat. 3º Necesse videtur ut vices suas uni e collegio committat, saltem si ita fieri capitulo petierit; siquidem capitulo non tenetur extraneam personam admittere in sua comitia. Cap. *Quia propter*, et *Si quis justo*.

Quando canonicus absens alicui delegavit suas vices, designando personam cui suffragium dari debeat in electione, procurator poterit hanc personam nomine absentis eligere, et in alteram suum proprium votum transferre; nulla quippe reperitur contradictio in tali agendi ratione. Si vero canonicus absens rem prudenti arbitrio et conscientiæ procuratoris commiserit, nulla facta designatione, fas non erit procuratori alium nomine absentis cuius vices gerit, alterum suo proprio nomine eligere, ne videatur suam *conscientiam dividere*, usi jura loquuntur.

III. Altera conditio, jure naturali et canonico requisita, est ut *deliberatio fiat cum libertate*, adeo ut si capitulo vi, ministracione partium, comminatione magistratus sacerdotalis, aliove

modo invitum adigatur ad nominationem vicarii capitularis, electio non valeat; est saltem rescissioni obnoxia. Quod idem dicendum de altera quacumque deliberatione ex metu gravi inita<sup>1</sup>.

Quid vero si capitulo metu adigatur ad eligendum, non quidem certam personam, sed alteram ex pluribus, vel e tali provincia, caeteris penitus exclusis? Solutio pendet a circumstantiis et præsertim a libertate, quæ, exclusione facta, relinquitur electoribus; perspicuum enim est eo magis gravari libertatem quo arctius conclusus fuerit numerus personarum ex quibus altera eligenda sit. Si plures remaneant idonee in quas officium transferri convenienter queat, putamus valere electionem, tametsi rescindibilis sit ad arbitrium superioris. Valet electio; si quidem substantia electionis absolute loquendo in tali casu subsistit, nec capitularibus adempta est omnis libertas eligendi, cum possint adhuc unum idoneum ex pluribus assumere ad officium. Addimus tamen rescindibilem fore, utpote quæ facta non sit secundum canones, cum plena libertate. (Schmalzgrueber, in tit. vi DE ELECTIONE, n° 66. Pirhing, n° 237.)

IV. Requiritur, et communiter sufficit *majoritas absoluta capitularium* ad deliberandum.

Requiritur majoritas ex omnium consensu; siquidem corpus morale deliberans nequit representari a minori sua parte, nisi ipsummet consentiat vices suas alicui demandare... Majoritas esse debet absoluta non relativa; quod a majoritate solummodo relativa procedit, dici nullatenus potest procedere a majori parte capitulo. (Ferraris, vº *Vicarius capitularis*, art. 1, n° 66.) Quod si forte suffragia in partes numero æquales dividantur, non præponderat votum præsidis, nisi alter ordinatum sit statutis capitularibus; juxta enim disciplinam vigentem in conciliis et ceteris conventibus ecclesiasticis, præses non potitur jure suffra-

<sup>1</sup> Cf. *Commentaria canonistarum* in titulum xi lib. I Decret. DE HIS QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

gii præponderantis. Quapropter si æqualia numero suffragia dentur duobus candidatis ad officium vicarii capitularis, et octo dies elapsi sint quin capitulares concordare potuerint in majoritatem, electio defertur ad metropolitanum. Ita definitum refert Ferraris, loco citato, n<sup>o</sup> 46...

Aliquando non sufficit majoritas absoluta, sed statutis peculiariibus, vel inducta consuetudine, exiguntur duæ suffragiorum partes. Quinetiam sunt certa negotia pro quibus jure communi requiritur unanimitas suffragiorum, si nempe res de qua agitur singulorum intersit, adeo ut singuli jus proprium personale habeant. Est nimurum regula juris xxix : *Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari*. Aliter sentias de casu in quo res non respicit ad canonicos nisi universim sumptos, quatenus collegium efficiunt; tunc agitur in deliberatione ineunda de commodo vel incommmodo totius collegii, quamvis causa in quæstionem adducta singulos etiam tangat, quatenus sunt membra capituli.

Hinc concluditur electionem, seu solemnem seu simplicem, fieri non posse per *compromissum* nisi omnes in id consentiant (n<sup>o</sup> 74); quia singuli jus proprium habent conferendi suum suffragium. E contra majoritas absoluta sufficiet ad statuendum de alienatione boni communis mensæ capitularis, quoniam dominium hujus boni non ad canonicos, quatenus *singulos*, sed ad omnes universim, id est ad collegium pertinet<sup>1</sup>.

424. — Jura quandoque statuunt approbari quæ fiunt a *majori et saniori parte* capituli, ut dicitur in cap. *Cum in cunctis*, 1, DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE, etc., lib. III Decret. Sanior pars censetur quæ dignitate, integritate, studio honoris Dei et disciplinæ ecclesiasticæ prævalet. Cum tamen difficultatum esset, ac periculosem, discrimen assignare inter suffragantes, communiter attenditur solummodo ad numerum suffragantium; et quod major pars judicaverit, a saniori etiam

<sup>1</sup> Cf. Reiffenstuel, lib. VI, in regulam xxix.

judicatum præsumitur. Nisi proinde minor pars aliquid grave et canonibus firmatum opponat, capitulum non supersedebit exsecutioni sui decreti; si vero minor pars pretendat jus violatum, et hoc ratione gravi sustineat, non potest quidem rescindere actum capituli, sed potest ad superiorem appellare; qua provocatione, si facta sit forma regulari et tempore opportuno, suspendetur exsecutio decreti, donec superior, re ad præscriptum canonum perpensa, sententiam protulerit.

425. — V<sup>o</sup> Utrum negotia capituli agi possint a duobus canonicis, vel ab uno solo superstite, si forte ceteri omnes mortui sint, vel fuga dispersi, aut aliquo impedimento detenti?

Quamvis ea sit constitutio cuiusvis collegii ut tribus saltem membris componi debeat, jus tamen capituli semel rite erecti retinetur in paucioribus, vel etiam in uno (n<sup>o</sup> 581). Hinc sequitur duos qui forte remanserint, imo unum qui, ceteris omnibus deficientibus, solus superstes fuerit, agere posse negotia capituli. « Si omnes præter unum de capitulo essent incapaces, » ait Card. Petra, remanet jus penes unum, ut late et magis « traliter Rota in Majoricensi Benef., 29 mart. 1700... et ratio « est quia cum jus sit penes singulos de collegio, non ut singu « los sed uti universos, eo ipso quod nequeunt illi (qui incap « ces sunt ob aliquod canonicum impedimentum) esse membra « collegii, per jus non decrescendi remanet in aliis... Nam etsi « verum sit unum non constituere capitulum... tamen in casu « quo omnes alii sunt incapaces, remanet jus collegii penes « unum. » (Comment. in 1 const. S. Leonis Magni, sect. II, n<sup>o</sup>s 55, 56. Tom. I, pag. 57, 58.) Card. de Luca eamdem protulit sententiam: « Vacatis de facto pro majori parte cano « nicatibus, vel existentibus de jure canonice impeditis, seu « habitis pro non extantibus, puta per censuras vel alia impe « dimenta, tunc totum capitulum consolidatur in non impedi « tis, etiam in paucis, quinimo etiam in uno non impedito. » Discursus in concil. Trident. xxxi, n<sup>o</sup> 4; xliii, n<sup>o</sup>s 24, 25.

Quod si tamen capitulum sit interdictum vel suspensum, ob delictum a quo pauci quidam innocentes omnino fuerunt, canonicis, quos supponimus delicti minime participes, non valent agere nomine capituli. Dicitur in una decisione Rotæ : « Licet « capitulum conservetur et sit repræsentabile per unum dun- « taxat canonicum, repræsentatur tamen (in hoc casu) tanquam « corpus infectum et inhabile ad exercendum actus jurisdictionio- « nales : alias darentur in eadem Ecclesia duo capitula, alterum « suspensum et interdictum, et alterum neque suspensum « neque interdictum, quod monstruosum esset. » *Decisiones recentiores Rotæ*, part. XII; tom. I, decis. 43, n<sup>o</sup> 12-16.

Hanc doctrinam, quoad utrumque punctum, reperimus communiter receptam apud celebriores canonistas, Fagnan, Barbosa, Pirrhing... qui multa exinde corollaria practica deducunt, ex quibus duo, exempli causa, ob rerum gravitatem adducemus.

1º Deducunt ex principio allato canonicum, qui, sede vacante, solus superstes fuerit, posse concedere litteras dimissoriales, quod sic etiam declaratum a S. Congregatione concilii refert Fagnan : « An casu quo capitulum concedere potest dimissorias, « si canonici propter hæreses sint dispersi et nequeant convenire, aut conveniri sine difficultate, sufficiat habere dimissorias ab uno aliquo ex canonicis cathedralis... S. Congregatio « Card. concilii Tridentini interpretum censuit... sufficere « habere dimissorias a residentibus capitularibus, etiamsi unus « duntaxat resideret, quia jus capituli etiam in uno conser- « vatur. » (In cap. *His quæ*, n<sup>o</sup> 62 et 63, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, lib. I Decret.)

2º Deducunt capitularem qui remanet, posse ad electionem seu potius ad nominationem prälati procedere, in locis ubi capitula hoc jure fruuntur. « Si vero unus solus remaneat, ait « Pirrhing, alis duobus mortuis, vel a societate recessentibus, « non erit collegium actu, cum hoc collectionem personarum, « ex vi significationis suæ, importet; jura tamen collegii in illo « uno remanebunt, et sic collegium quodammodo habitu, seu

« virtute, in uno manebit, isque solus et unus poterit exercere « actus collegio seu capitulo competentes, ut est eligere, et « postulare... et quamvis se ipse eligere non possit... potest « tamen aliam personam in prälatum eligere, vel potius no- « minare. » (In tit. *DE ELECTIONE*, n<sup>o</sup> 12, lib. I Decret.<sup>1</sup>)

\* 426. — VI. *Utrum necesse sit deliberationes capituli confirmari ab Episcopo, et quis sit effectus hujus confirmationis?*

I. Deliberationes capituli indigent probabiliter confirmatione data ab Episcopo, ut stabiliter valeant in futurum, vimque legis obtineant. Deducitur ex dictis supra (n<sup>o</sup> 395).

Necesse est præterea ut deliberationes de publicis officiis, aut de regimine capituli in re majoris momenti, subjiciantur

<sup>1</sup> Tempore perturbationis rerum publicarum in Galliis, cum obiisset in regione extra Yvo de Marboüf, Archiepiscopus Lugdunensis, tres canonici qui e capitulo supererant, cæteris vi tempestatis in varias regiones disjectis, vicarium capitularem elegerunt, die 12 maii, an. 1799, qui diœcesim sede vacante regeret. Pro sua parte Congregatio particularis Cardinalium a Pio VI constituta super negotiis ecclesiasticis Galliarum, ut primum audierat de morte Archiepiscopi, mature prospexit ne grex pastore careret tam necessario tempore, et deputavit J. B. Verdolin in administratorem apostolicum. Hinc orta est contentio inter vicarium capitularem et administratorem apostolicum. Cardinales Albani, Gerdil, Antonelli et Maury, quos Pius VI præfecerat his negotiis, pronuntiaverunt se in priori sententia de deputando administratore permanere, ac tandem causæ finem imposuit Pius VII datis litteris *Ecclesiæ Lugdunensis* die 2 sept. 1800, in quibus quod decretum a Congregatione fuerat confirmavit, haec subjungendo : « Neque ullam sane habendam rationem censuerunt (cardinales) ejus quod « actum a tribus canonicis istius Ecclesiæ cathedralis esset, qui totius ca- « pituli potestatem ad se reductam falso opinantes, vicarium capitularem « contra fas delegerunt dilectum filium Bernardum de Rully. » Conjicimus Pium VII non intendisse improbare sententiam communissimam canonistarum de jure capitularium qui, ceteris tempestate depulsis, supersunt in sua Ecclesia residentes; sed ita locutum ob facultates speciales quas Pius VI demandaverat super negotiis ecclesiasticis Galliæ, Congregationi selectæ Cardinalium. Si unquam dubium oriretur, utrum ratione circumstantiarum, ut contigit per turbulentissima tempora perturbationis Galliæ, mediis ordinariis juris Ecclesiæ necessitatí provideri debeat, an extraordinariis, capitulares possent, recursu habito ad S. Pontificem, prospicere regimini diœcesis, interea dum Sancta Sedes quid sit agendum statueret.

examini Episcopi, et ab eo approbentur; vigilare enim debet Antistes ne quid innovetur contra disciplinam.

Minora negotia regiminis capituli possunt a canonicis pertractari in suo conventu, quin urgeat necessitas adeundi Episcopum, causa obtinendi confirmationem. Ita communiter, teste Suarez. (*De Legibus*, lib. IV, cap. vi, n° 11.)

427. — II. Diversi sunt effectus confirmationis, prout data fuit solummodo in commendationem statutorum, vel ut induant indolem legis superioris.

Capitulum potest sua statuta, etsi confirmata ab Episcopo vel etiam a S. Pontifice, revocare aut immutare, non obtento prius Episcopi vel S. Pontificis consensu, quando statuta de negotiis sunt quæ jure ad capitulum pertinent, et confirmatio data est *accidentalis*, ut aiunt, non *essentialis*. Hujusmodi confirmatio superadditur ob quedam specialem splendorem, non autem ut statuta capitularia induant naturam legum pontificiarum, seu episcopalium, quæ vim obligandi habeant.

Quoties confirmatio respicit commodum statuentium, præsumitur mere *accidentalis*; quia superior non censetur velle conferre beneficium invito. E converso, quando statutum principaliter refertur ad bonum publicum, vel ad favorem Ecclesiae, præsumitur confirmationem esse *essentialiem*, vimque superaddere quæ jam a voluntate statuentium non pendeat. (Fagnan, in cap. *Cum accessissent*, n° 12; Schmalzgrueber in tit. de *CONSTITUT.*, n° 54; et Andreucci, loc. cit., n° 154.)

## SECTIO V<sup>a</sup>

### DE REGULARIBUS.

Regulares dicuntur qui modum vitæ communis ab Ecclesia probatum, emissis votis, profitentur. De regularibus inquendum habemus 1<sup>o</sup> quæ sit origo status religiosi; 2<sup>o</sup> quæ sit natura hujus status, et quatenus ordines religiosi approbari debeant; 3<sup>o</sup> qui admittendi sint in statum religiosum, et regulæ servandæ in hac admissione; 4<sup>o</sup> quibus obligationibus obnoxii sint regulares, sive ex votis, sive ex legibus canonicis; 5<sup>o</sup> demum de regimine ordinum religiosorum, quæ sit auctoritas superiorum regularium, et quatenus Regulares subdantur jurisdictioni Episcoporum<sup>1</sup>.

### ARTICULUS I. — DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI, AC PRÆCIPIORUM ORDINUM RELIGIOSORUM.

Quæstio de origine status religiosi duplex est: alia, ut ita dicam, dogmatica, an status religiosus sit jure divino, utrum nempe Christus hunc statum instituerit; alia vero historica,

<sup>1</sup> Tit. xxxi et xxxv, lib. III decret. DE REGULARIBUS, ET DE STATU MONACHORUM. Conc. Trid., Sess. xxv, *de Regularibus*; — Suarez, *de Religione*, tom. III et IV; — Tamburini, *de Jure abbatum*; — Hélyot, *Histoire des ordres religieux*, 8 vol. in-4°.